



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Quæstio XXXII. In Tit. XXXII. De Novi Operis Nuntiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](#)

In Tit. XXXI. De Excessibus Prælatorum, &c. 251

corum Prælatorum excessus gravissime
ipsis prohibitos esse.

ARTICULUS II.

De excessibus Subditorum contra Prælatos,
seu Superiores suos.

1149 **N**on est dubium, etiam subditos contra Superiorum variis modis excedere; reverentiam Superioribus denegando; coram secularibus contra eos super rebus spiritualibus deponendo; Dominos negando contra homagii fidem; eos invadendo; aut invasoribus eorum complicibus causam, vel consilium præbendo; de quibus c. 15. h. t. statuitur, ut perpetuo abscindantur ab Ecclesia, & eorum beneficia iis, qui digni sunt, assignentur. Similiter in Superiorum peccant subdit, si non sunt continentes, c. Clerici 4. h. t. Si Ecclesiam suam, vel sibi subjectam, citra consensum Episcopi subjecerint, vel univerint alteri, non obstante assentu, vel confirmatione Metropolitani, c. *sicut unire*, 8. eodem; si homicidio directe vel indirecte auctoritatem, vel consilium præstiterint, c. *ex li-*
teris 10. eod. si sibi constituant collegium, vel fabricent sigillum, c. *dilecta*, 14. h. t. Personatum sibi falso afflant; contra eos, quibus fide, & Sacramento adstricti sunt, si erigant, de quibus in c. 6. h. t. dicitur, ut in eo Episcopatu non admittantur ad officii sui executionem? Prohi-

bentur etiam peccata aliena in confessione audita, revelare, ne quidem compulsi c. *dilectus*, 13. h. t. Secundò de suis delictis gloriari (v. g. de copula commissa cum aliena muliere) & hi ab officio, & beneficio sunt suspendendi, c. *quam sit*, 9. h. t. Tertiò sectari libidines, maximè contra naturam, propter quas vel à Clero deiiciendi sunt, vel ad poenitentiam in Monasterium detrudendi, c. 4. h. t. Quartò ea agere, unde scandalum oriri possit, v.g. frequentare ludos profanos, &c. de quibus agit titulus de vita, & honestate Clericorum. Excedunt præterea subditi contra suos Superiores, si Prælati Episcopo inferiores cognoscunt causas matrimoniales, c. *accidentibus*, 12. h. t. excipe nisi habeant proprium territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem, privativè ad Episcopum. Et ideo tales non veniunt nomine Prælati Episcopo inferioris, quando agitur de materia jurisdictionis. Vid. Pirhing h. t. à n. 21. Quintò, si Prælati Episcopo inferiores uniant Ecclesias sibi subditas sine consensu Episcoporum c. *sicut* 8. h. t. Ex quo colligitur Episcopum ex justa causa (de his, quæ à Prælat.) & consensu Capituli (arg. cap. *Pastoralis*, de donation. & Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienan.) posse unire Ecclesias subjectas. Quod etiam procedit de Monasteriis illi subjectis, non tamen Ecclesiis Cathedralibus, ut docet Pirhing h. t. n. 19. Sed de hoc V. lib. 3.

QUÆSTIO XXXII.

IN TIT. XXXII. DE NOVI OPERIS NUN-

TIATIONE.

1150 **N**untiare novum opus est, illi, qui de novo in alterius præjudicium ædificat, prohibere, ne tale ædificium fiat, vel in iam coepto pergit, donec de jure ædificandi constet. Hæc novi operis nuntiatione, seu prohibito est quædam extrajudicialis appellatio; & ideo, è pendente, nihil est attentandum, ut docet Andr. Gail. l. 1. observ. 16. n. 2. cum communi.

Tom. V.

ARTICULUS I.

In quibus rebus, seu operibus locum habeat novi operis Nuntiatione?

Resp. quod in solis rebus immobilibus, 1151 sive in solis illis operibus, quæ solo conjuncta, aut conjungenda sunt, & in eo sic fiunt, ut in eodem permaneant. Et ideo messem colligere, vel arborem succidere, non pertinet ad hoc edictum

li 2

L. I.

ARTICULUS II.

*Cui competit jus nuntiandi novum opus? ubi,
& cum? quibus modis, &
quando?*

L. 1. §. *hoc autem edictum ff. h. t. juncta*
Gloss. V. In solo. Novum tamen opus vi-
detur facere, qui aut ædificando de novo,
vel detrahendo, pristinam faciem operis
immutat, cit. L. 1. §. *opus novum*, ff. eod.
Quare in casu, quo quis vetus ædificium
duntaxat fulcit, vel reficit, nihil adden-
do, vel demendo, hæc nuntiatio locum
non habet, per cit. L. 1. §. *si quis ædifi-
cium.* Unde hæc nuntiatio datur solum
ad opera nova, seu futura impedienda, ne
fiant, vel perficiantur. Nam in jam per-
fectis, recurrendum est ad interdictum,
quod vi, aut clam, ut restituatur, quod
illicitè factum est, L. 1. §. 1. ff. h. t. Ni-
hil autem refert, quod novum opus fiat
in damnum alicujus in, vel extra oppidum,
in publico, aut privato loco, nam hæc
nuntiatio æquè locum habet, & dicitur cit.
L. 1. §. *sive autem.*

Præter hæc notandum, nuntiationem
novi operis non habere locum quoad ri-
vos, vel cloacas reficiendas, aut purgan-
das; cùm hoc pertineat ad publicam utili-
tatem, & securitatem. L. *de pupillo* §. *si
quis rivos*, ff. de operis novi nuntiat. Gloss.
V. *securitatis*: extendi tamen etiam ad ædi-
ficationem novæ Ecclesiæ, qua non debet
exstrui in præjudicium tertii, vel alterius
Ecclesiæ, c. *Intelleximus*. 1. h. t. Quo ca-
pitulo leges de novi operis nuntiatione
canonizata sunt, ibi: *Quia verò, sicut le-
ges non dedignantur sacros canones imitari,
ita & Sacrorum statuta canonum, Principum
constitutionibus adjuvantur: mandamus,*
*quatenus diligenter considerans, quod post
denuntiationem operis sive jure, sive injuria
aliquid construatur, legalibus debet constitu-
tionibus demoliri; & quia nulla Ecclesia in
præjudicium alterius est construenda, negoti-
um ipsius, secundum legum, & canonum sta-
tuta, non differas terminare.* Ex quo colli-
ges, causas Ecclesiasticas, in defectu Ca-
nonum nihil de illa re statuentium, debere
decidi secundum jus civile gloss. in c. *Intel-
leximus*. V. *adjuvantur.* Sed hoc accipe,
quando jus civile non continet, aut fovet
peccatum, nec aliquid, quod obviet Ca-
nonicis statutis. Collig. 2. Secundum lega-
les constitutiones debere fieri demoliti-
onem ejus, quod ædificatum est, contra
novi operis nuntiationem, L. *Prator*, §.
aut Prator, ff. h. t.

A D. 1. R. quod jus nuntiandi novum ¹¹⁵³
opus competat 1. illi, ad quem res
pertinet, cui exinde damnum, vel præ-
judicium imminet, ut dicitur cit. L. 1. §.
penult. 2. Vero Domino fundi. 3. Etiam
illi, qui ejus utile dominium habet, ut est
feudatarius, emphyteuta, & superficia-
rius, L. 3. §. *Si ego.* Imò & creditori, cui
prædium jure hypothecario subest. L. *cre-
ditori*, ff. h. t. 4. Habenti servitutem in
fundo, in quo de novo ædificatur, ex cit.
L. 3. §. *Si ego*, sive servitus sit urba-
na, sive rustica, per L. 3. cit. §. *penult.*
& L. *non solum*, ff. eodem, quia utrique
juri præjudicatur. 5. Habenti servitutem
merē personalem, non tamen suo, sed
proprietarii nomine, L. 1. §. *fin.* ff. eodem:
6. Procuratori, vel gestori negotiorum,
sed solum nomine Domini, si ad id habe-
at mandatum speciale. Molin. D. 706. n.
291. Denique servo, non tamen suo, sed
Domini nomine, in re privata. L. *Si pu-
pillo*, §. *servo*, ff. h. t. juncta gloss. V. *non
potest*. Pupillo autem solum de authorita-
tate Tutoris, ut dicitur L. cit.

Ad 2. R. nuntiationem novi operis
faciendam in re præsenti, hoc est, ubino-
rum opus fit, L. *de Pupillo*, h. t. Ad 3.
R. non requiri, ut fiat Domino; sed suffi-
cere, si fiat ei, qui ibi est existens ex fine
operis (ut sunt fabri, & similes opifices)
vel cuicunque etiam puer, vel mulier,
L. *de Pupillo*. §. *Nuntiari autem*, ff. h. t.
imò etiam infanti, & furioso, modò alli
adint, qui intelligent, L. *cuilibet*. 11. ff.
eodem, junct. Gloss. V. *et si furiosum.* Quia
nuntiatio fit in rem, seu rei; non perlo-
nax. L. *operis*, 10. ff. eodem.

Ad 4. R. quod nuntiatio novi operis ¹¹⁵³
fit tribus modis, ut dicitur cit. L. *de pupi-
lo*, §. *meminisse*, 1. verbis, ut tale opus
non fiat, vel continuetur in suum nunti-
antis, vel publicum præjudicium; 2. ma-
nu, hoc est, lapilli jaclu in eum locum, ubi
opus fit, simul tamen additis verbis prohi-
bentibus opus, aut ejus continuationem. Sic
Hostiensis in Summa, n. 8. h. t. Dicunt tam-
en alii, ut Sylvester V. *de nuntiat. novi
operis*, q. 4. ter fieri debere. 3. per Prato-
rem,

rem, seu Judicem: ubi tamen nota, quod inter primum, & duos posteriores modos nuntiandi, hoc sit discriben, quod, qui nuntiat simplici verbo, seu primo modo, si sit in ejus possessione, circa quod sit nuntiatio, hujus possessionem amittat, & adversarium, cui nuntiat, possessorem faciat, L. 1. §. in operis; & L. 5. §. meminisse, ff. h. t. si autem nuntiet uno ex posterioribus modis, possessionem retineat, Gloss. in cit. §. in operis, V. adversarium. V. Sylvest. cit.

1154 Ad 5. q. Quod fieri possit quolibet die, etiam feriato, & Deo laco, cit. L. 1. §. item nuntiatio; junct. glossa V. omnibus diebus, ff. h. t. quia fieri potest extra judicium. Et cum sit per Judicem, non proceditur per causae cognitionem, sed de plano. Sic Zoëniush. t. in ff. n. 12. Fieri quoque potest adversus absentes, quorum nomine adificatur, & invitatos, imò & ignorantibus, cum fiat in rem; non, in personam, cit. L. 1. §. & adversus; junct. gloss. V. absentes.

ARTICULUS. III.

Quis sit effectus hujus nuntiationis?

1155 R Esp. effectum primarium esse, post factam nuntiationem, demolitionem eius, quidquid noviter adificatum est, faciendam expensis ipsius adificantis, sive justè, sive injustè nuntiatum sit, quod ex postfacto (scilicet cognitâ veritate) apparebit. Sic statutum est L. 1. ff. h. t. L. Prator §. 1. & §. ait Prator, ff. codem. junct. Gloss. in cit. L. 1. V. sive jure, & c. Cum ex injuncto, 2. h. t. ibi: mandamus, quatenus quidquid adificatum est in Ecclesia de Lamech, post novi operis nuntiationem, expensis tuis facias penitus demoliri &c. Ubi nota, si quis adificium sui antecessoris, cui facta est nuntiatio novi operis, ratum habeat, vel prosequatur, etiam Successorem teneriad illud suis sumptibus demoliendum, ut colligitur ex cit. c. Cum ex injuncto. Unde hoc interdictum datur hæredi, & contra hæredem, quando in vitium succedit, nimirum sciens, nuntiationem esse factam, L. Prator, §. hoc interdictum, ff. h. t. & quidem, etiam post annum, ex cit. L. Prator, §. fin. imo etiam contra Successorem singularem, seu Emptorem; cum detur, non in personam, sed rem, L. fin. ff. h. t.

1156 Is porro, cui novum opus nuntiatum

est, ante destructionem novi operis, volens probare, jus adificandi sibi competere, non quidem ipso jure repellitur ab agendo, nisi prius omnia reducat in pristinum statum; sed exceptione opposita ante item contestatam; cum sit exceptio dilatoria, ut patet ex cit. c. ibi: *actio ipsi denegari debet.* Si tamen haec exceptio non opponatur; & is, cui novum opus nuntiatum est, docuerit de jure suo, sententia pro illo feratur, sine destructione novi operis (qualiter, si spoliatus non opponat exceptionem spoliationis, actore probante jus proprietatis) pro eo sententia ferenda est; cum proprietas prævaleat possessioni. Dixa superius, *denuntiatum, post novi operis nuntiationem, debere ab adificando cessare, & opus capsum destruere, non solum quando jure, seu justè facta est nuntiatio* (ut, cum nullum jus habuit adificandi) *sed etiam quando facta est inusta*, seu cum injurya adificantis, qui scilicet habuit *jus adificandi.* Cujus ratio est ex dispositione juris ob publicæ pacis bonum, ac rixas cavendas, ut pluribus colligitur ex legibus citatis. Nec enim is, cui sit nuntiatio, ex hoc inusta gravatur; cum possit se tueri viâ juris, adundo Judicem, petendo ab eo remissionem operis; Secus enim, si viâ facti processerit, pergendo in adificio, opus postea factum demoliri debet, ob contemptam Pratoris auctoritatem, etiamsi jus adificandi haberit; ita Gail. cit. l. 1. Observ. 16. n. 2.

Si autem quaras, quibus casibus nuntiatio novi operis effectu caret, seti celsus? q. quod in sex casibus. 1. Si nuntians adificanti novum opus nuntiationem remittat. L. Non solum, 8. §. sciendum. ff. codem, ibi: *donec remissio nuntiationis fiat.* Hæc autem remissio fit, vel expresse (& tunc, si nuntiatus jus adificandi habet, recte perger in novo opere, L. non solum, §. morte ejus, ff. h. t. junct. Gloss. V. remissio nem) vel tacite, ut patet ex sequentibus, nimis morte nuntiantis; tunc enim nuntiatio extinguitur, ut dicitur cit. L. non solum, §. morte ejus: sed hoc (quod morte nuntiantis extinguitur nuntiatio) intellige, si moriatur re adhuc integrâ, scilicet, antequam aliquid adificatum esset; nam si moreretur re non integrâ, hæredi ejus competere hoc interdictum; ut notat Pirhing hinc. 15. Secus est mortuo nuntiato; nam ejus morte non extinguitur nuntiatio; cum ex parte personæ nuntiatæ, nuntiatio sit

Li 3 realis,

254 Tract. In Lib. V. Decretal. Quæst. XXXII.

realis, seu fiat *in rem*, ut dictum est, L. *operis*, ff. h. t. ex parte vero nuntiantis sit *personalis*, L. *non solam*.

1158 Secundò cessat nuntiatio novi operis, si nuntians à nuntiato accepit cautionem de demoliendo, ubi constiterit, ipsum jus ædificandi non habuisse; vel etiam, si per nuntiatum non stet, quò minus satis det; ut, cùm competente satisfactionem obtulit, quæ tamen acceptata non fuit, L. *de pupillo*, §. *si is, cui*, & L. *Prator*, §. *deinde*, & §. *hoc interdictum*, ff. h. t. Ubi notandum, quòd nuntians ejusmodi satisfactionem nuntiati non teneatur acceptare, si *Nuntians* in continenti, vel saltem intra tres menses, velut probare, *se jure* novum opus prohibere, c. *significantibus*, 3. h. t. &c. fin. eodem; atque adeo, (prout exhibet Summatio Rubricæ) in optione esse Nuntiantis novum opus, an intra tres menses de præjudicio suo debeat ostendere, & interim cessetur ab opere: an vero recepta cautione de opere demoliendo, statim ædificare permittat? Secùs præstâ dictâ cautione, & nondum factâ probatione de jure competentis nuntianti prohibitionis, pergere licet in ædificio, quamvis nuntians etiam post eum terminum in hujus probatione audiatur. Sic Pirhing h. t. n. 18.

1159 Cessat tertio nuntiatio novi operis, si is, qui nuntiavit, exigente nuntiato, recusat iuramentum calumnia; hoc est, si nolit jurare coram Judice, se arbitrari, quòd habeat justam causam nuntiandi, seu prohibendi novum opus; nam tali casu à lege nuntiatio remittitur, & pro non facta habetur. L. *de pupillo*, §. *qui opus*, ff. h. t. Quartò cessat, si sit periculum in mora, hoc est, si nuntiatus ex hoc, quòd ædificium non faceret, aut suspenderet, grave damnum pateretur, vel probabiliter timeat. Sic Gail. cit. n. 8, quia quoties peri-

culum est in mora, recedere licet à Regulis juris communis, & remittitur juris dispositio etiam prohibitiva, Gail. cit. n. 9, quod tamen Gloff. in cit. c. 2. h. t. explicat de periculo *communi*, seu *universalis totius civitatis*, vel *vicinia*; non item speciali, & privato nuntiati, saltem regulariter.

Cessat quintò, si Prætor revocavit nun. 1160 tiationem permisam, L. *Si opus*, 16. ff. h. t. Sextò, si certò, & notoriè constet, nuntiato competere jus ædificandi, & consequenter nuntiationem esse manifestè injustum, ut docet Gail. cit. n. 4. Unde leges probantes nuntiationem, etiam injustum, intelliguntur de casu, quo de jure nuntiatio non constat manifestè, sed aliquo modo dubitatur; alias leges faverent manifestè injustum.

Si quæras, an Nuntianti novum opus, 1161 liceat, etiam propriâ authoritate opus, à vicino factum in eo, quod possidet nuntians, destruere? Ex. quòd sic, modo in continenti fiat, & non ex intervallo, L. 3. §. *Cum igitur*, ff. de vi, & vi armat. Videtur enim tunc vis vi repelli, quod licitum est; ita Zoësius in ff. h. t. n. 16. Ceterum, et si cuique licitum sit ædificium suum usque ad cœlum extollere, nec ob id possit impediri novi operis nuntiatione, ut notat Barbosa in c. fin. h. t. n. 6. ex L. *alius*, Cod. de servitut, & aqua: noctamen non procedit, quoties quis prope monasterium ædificat, quod sibi non prodest; Ecclesiæ vero, aut monasterio nocet; ita Gail. lib. 2. Obser. 69. n. 13. & quilibet vicinus potest impeditre, ne alius de novo ædificet portas, vel fenestras directas adversus januas, vel fenestras, ut notat Barbosa cit. n. 6, nam ad æmulationem vicini ædificatio permissa non est, ut probat Menochius casu 156. n. 3. & de præsumpt. 1. 6.

præsumpt. 29. n. 28. Mascarud de probat. conclus. 620. n. 15.



QUE-